

DISSERTATIO MEDICA INAUGUR ALIS,
DE
CARDIALGIA,

QUAM
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
IN ILLUSTRIS ACADEMIA VARNIACA,
EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO,
DECANI SPECTABILIS,
**DN. JOH. ERNESTI
SCHAPERI,**

MED. D. & P. P. DUC. PRIM. ET ORDIN. FACULT. SUÆ,
COLLEGI DUCALIS ET ACADEMIÆ SENIORIS, SERENISSIMI
DUCIS REGENTIS MECLENBURGICI ARCHIATRI
ET CONSILIARI INTIMI,
PATRONI AC PROMOTORIS SUI ÆTATEM
COLENDI,

**PRO LICENTIA,
Summos in Medicina Honores**

& Privilegia Doctoralia legitimè obtinendi,
IN AUDITORIO MAJORI,

Ad diem 1. Octobris Anni MDCCXX.

Publico Eruditorum Examine submittit,

JOACH. THEODOR. HORNHART,

Wenâ Hannoveranus, Ducalis Meclenburgicus

Graboviensis Archiater.

ROSTOCHII, Typis Joh. Wepplingi, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

SERENISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO,
DOMINO,
CHRISTIANO
LUDOVICO,

DUCI MECLENBURGICO, PRIN-
CIPIS VANDALORUM, SVERINI, ET
RACEBURGI, COMITI SVERINENSIS TERRARUM
ROSTOCHII ET STARGARDIÆ
DOMINO,

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO.

SERE-

SERENISSIME
PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,



Inauguralem meam Disputationem de Cardialgia oblatum venio, & ad Tuos pedes humillimè depositurus accedo, quoniam non dubitem fore, quibus peccare videbor, ast eos non moror; Nam & Tua gratia, & Tuus *SERENISSIME PRINCEPS*, in eruditos Amor, atque singularis Tua in bonas artes scientiasque Propensio faciunt, ut neque tenuitate mea, neque exiguitate Libelli deter-

deterrear , qvi qvōd minimus est, non
ideo benignitati Tuæ minimum debebit.
Ea propter ut suum Oceano Vectigal
non famosi tantum amnes , sed etiam
rivuli & exiles aquæ pensitant , ita sus-
cipies *DOMINE* , devotionis ingenuæ
& submissæ pietatis hocce pignus , ac
in me ut hætenus ita porrò flectes be-
nignissimum illum adspectum Tuum ,
qvō cuncta Serenas. Ego Deum Ter
Optimum Terq; Maximum omni voto
& prece obtestari non desinam , ut
Tuam Serenitatem fervet incolumem,
& omnibus bonis ex Tuo Voto beet,
& qvoad vivam ero

TIBI, SERENISSIME PRINCEPS

devotissimus

JOACHIMUS THEODORUS

❁) i (❁

PROOEMIUM.



Valetudinem Tuam cura diligenter! *Ciceronis constans erat commendatio & salutare monitum, nec immeritò. Siquidem ea non infimum in hac vita ne dicam Præcipuum hominis bonum est, in quo consentientes quidem deprehendo mortales ad unum omnes, ut hinc ad interrogatum in quo statu jam vivant? Consuetæ audiat responsio: Gott Lob! daß man noch gesund ist / das ist das beste. Sed proh! quam plurimos deprehendimus, qui id non prius agnoscunt, quam cum ad indolem Atheniensium de pace non nisi atrati, sic lecto affixi de Sanitate amissa cogitant. Hic arripiunt ansam conqverendi de ea amissâ, & majori adhuc cupiditate, de eâ recuperanda sunt solliciti, id advertimus quotidie, & ingeniose luxurians gula facit, ut sanitatem vilissimam rerum partem habeamus, eam-*

que amittamus inter lætitiã, usque dum
 ea corpus pravis inquinavit humoribus,
 importunæ libidines torquent rumpuntque
 membra, & qui alii adhuc in dietâ erro-
 res detegunt, nos morborum hæctenus se-
 curos, postea sanitatis prodigos, cum vel
 lento gradu, vel presso sæpius pede ægritu-
 dine vel mortifera corripimur, qui non æ-
 grotare multò minus mortiferè ægrotare
 volumus. Variis hinc stipamur morbis,
 quibus alii planè succumbunt, alii ægrè
 cum difficultate evadunt, & erumpunt.
 Recensere omnes morbos jam nec locus, nec
 institutum fert. Exemplum hodiè nobis
 sit Cardialgia, morbus, qui ut exquisi-
 tum doloris inducit sensum, ita quoque
 movet sensus, ut ea correptus simul amissum
 in sua vita summum bonum agnoscat. Nam
 eam ejus indolis deprehendimus, ut suis
 miris doloribus æconomiam nostri corporis
 & turbare & evertere queat. Elegi hunc
 morbum Disputationis Inauguralis loco, cui
 meo proposito summi Numinis gratiam

☉)3(☉
THES. I.



Vod Cardialgiæ vox

suam originem è Græcorum ha-
beat Scholis & ἀ καρδία, cor, &
ἀλγίω doleo derivata sit, extra
omne dubium est; Utut autem
in denotato hocce dolore variæ ad-
verti soleant differentiæ, quæ in
Cardialgia, Cardiogmo, Cardiaca,

Cardialæa apud Autores Medicos passim recensentur,
ego tamen hodiè circa eas non occupabor, sed pro in-
stituti mei ratione sufficit, me percardialgiam illum intel-
ligere morbum, quem Germani vocant das Hertzweh/
das Hertzdrücken / & quando querela est, das Hertz
thut mir wehe / it. es stehet mir auff den Herten / adeò ut
ad orificiorum & ipsius ventriculi dolorem attendam,
cujus etiam indolis sit, an ardens, an rodens, an lanci-
nans, an comprimens sit, an alia tristi sensatione se
manifestet.

THES. II.

Ventriculi igitur orificii superioris frequentius, sub-
inde inferioris, sic utriusque hujus orificii dolor mihi
Cardialgia est, qui hinc circa cordis scorbiculum, mole-
sta sensatione, insigni rosione, morsu, ardore, compressi-
one & contractione, nausea, quandoque & vomitu, re-
spiratione angusta, cordis anxietate percipitur, cui se
Vertigo, Syncope Epilepsia & Convulsiones associant,
& tristem sæpius sic inferunt finem.

THES. III.

Ut autem Cor hoc in morbo non affectum est, ita
nec Stomachum nuncupo Cor, sed ita loquor cum nostris
Germanis, ac ipsi Græci Medici ita sunt locuti, & dolo-

rem indicatum cardialgiam nuncuparunt. Quemadmodum etiam ipse doloris situs id satis manifestat, dum non supra sed infra diaphragma est, & ipse cordis scrobiculus in ossis sterni termino reperitur, cui subjacet orificium ventriculi superius à quo pylorus non longo distat interstitio. In hac igitur regione sentitur dolor, sæpè imò sæpissimè in opposita simul dorsi regione exquisitissimus, ut hinc conqverantur ægri, das Hertz werde ihnen zusammen geschnüret/ und zusammen gedrückt / quanquam etiam idem iste dolor quandoque solam occupet indicatam dorsi regionem. Sed nec in hisce terminis subsistit, subinde & ad hypochondriorum alterutrum, imò ad utrumque extenditur, cui jungitur etiam tumor, interdum adeò sensilis & externus, ut ad levem contactum doleat, ubi è contra quando dolor ille internus est, sine molestiâ ægri dictæ partes & tangi & premi queunt.

THES. IV.

Ut porrò in situ doloris ejusque varietate differentia est, dum jam ardens, jam rodens, jam lancinans, jam punctorius, jam compressivus est, quasi per cingulum fieret compressio & constrictio, jam sola anxietate exercentur ægri, ita non minor eadem quoque reperitur in duratione doloris, dum in aliis dolor est perpetuus, in aliis intermittens, ejusque reditus etiam secundum temporis intervalla incertus, ut hinc alios etiam jejunos, alios postos de cardialgia conqueri audiamus, & quoque protinus exclament: Ich muß nur nicht mehr essen/ weil alsdenn meine Angst erst recht angehet / daß ich mich auch dafür nicht zu lassen weiß.

THES. V.

Pars igitur affecta non solum orificium Ventriculi superius & subinde inferius, sed interdum totus Ventriculus est, quatenus ille cum suis orificiis innumeras nervorum

VORUM

vorum fibrillas recipit, ut hinc non tantum ventriculus cum orificiis præter membranaceam, musculosam & Villosam tunicam eâ prolixâ nervaceâ donatus sit, quæ est fibris varii generis variè contexta, interioris orificii latera ad spatium trium digitorum latorum intus obducit, & superius orificium circum circa obtegit; sed & orificium ventriculi sinistrum plexu nervaceo insigni imbutum reperitur. Nam pars nervorum vagi ramus dexter utrumque ventriculi orificium suis fibrillis non tantum numerosè prospicit, sed & sinister dicti paris octavi ramus furculis non paucis superius orificium perreptans plurimis iisdem ventriculi fundum, pylorum & supremam posticam stomachi regionem implet, & ut dexter dictus nervorum ramus suis fibrillis variis cum propagini- bus nervi intercostalis super pylorum coalescit, ita sinister jam nominatus fibrillis suis mediante similibus plexu ganglioformi semilunari sinistro prodeuntium coalitu plexum stomachium insignem & inde quoddam quasi reticulum constituit, quemadmodum est plexu ganglioformi semilunari dextro fibræ emergunt, est quibus quædam pylorum etiam tangunt, qui & ab eisdem lateris plexu hepatico aliquas fibras cum octavi paris quibusdam concurrentes obtinet. Adeò ut ex illis nervorum innumeris fibris orificiorum ventriculi cum ipso ventriculo consensus stabiliatur & confirmetur, atque confirmatus reperia- tur; quò hinc cardialgia in dictis orificiis non tantum eveniat, sed ad ipsum quoque ventriculum extendatur, & Hypochondria utraqve quandoque eorum alterutrum, ac oppositam dorsi regionem comites faciat.

THES. VI.

Atque sic nervi orificiorum Ventriculi jam descripti inferunt id, quod sensibilia deprehendantur. Hoc enim tam certum quam quod certissimum est; quod nervi

pro sensibus excitandis canales sint, & eo ipso cujus libet sensationis organum, hinc quò plures nervi in aliqua corporis parte reperiuntur, ex eadem quoque sensus magis exquisiti eveniunt, & cum jam officia ventriculi tanto nervorum numero gaudeant, ut quasi iis inundata videantur, hinc quoque tam sensibilia sunt. Id perficitur motu nervorum, quem inferunt iis ministerio sensuum inservientes spiritus animales, quamdiu isti ordine consueto in nervos influunt, iisque motum dant talem, ut ferendo ei sufficiant nervi, tamdiu grata & accepta inde resultat sensatio, sed quam primum ex aliqua orta causa spirituum animalium influxus major & solito major fit, nervorum motus augetur, & illicò molesta exurgit sensatio, quæ in dolorem degenerat, & eò magis fit dolorosa, quò vehementius nervi moventur, & in ipsum ruptionis incurrunt periculum,

THES. VII.

Id enim porro tam certum, quam quod certissimum est, dum anima & corpus intimo juncta sunt nexu, & talis inter has substantias essentialis lex constans sancita est, ut in invicem agant, & à se invicem patiantur, sicq; sua in invicem imperata motu exserant, qui ut ad certas cogitationes excitatur in corpore certus, & ad quem præcedaneum corporis certum motum certæ cogitationes formantur, quod pro qualibet excitanda sensatione nervorum motus fiat, hicce porro continuo fit tremulus, (quem non tantum spiritus animales suo naturali circa axin influxu, sed & vasa sanguifera Arteriæ suo pulsu, Venæ suo motu peristaltico & afficiunt & sustinent) pariter eorundum influxu plus minus aucto, tremulus hicce motus augeatur; Fieri id nequit, quin pro diverso in nervis aucto tremore diversum quoque vel minus vel majus tandem ruptionis periculum in nervorum fibrillis eveniat;

eveniat ; Anima hocce periculum advertens , quod fibrillæ nervacæ jam nimis trementes huic motui ferendo non sufficient, metuit, contristatur, dolet, ut vice versa quamdiu nervi sine tali periculo tremorem illatum ferunt, anima gaudet, & voluptatem nominat. Siquidem voluptatis & doloris differentiam non nisi solus nervorum in motu tremulo gradus parit, ut non irreptè hinc voluptatis excessus dolor & dicatur & fit. Quod facile patebit, si modo prius ordinis ergo morbi hujus causas consideravero.

THES. VIII.

Cardialgiæ igitur causæ sunt Variæ, sive internæ, sive externæ considerentur, siquidem quoad internas eas non facile evenit morbus malignus, quem non comitem deprehendimus cardialgiam. Ab externis autem causis cardialgiam frequentius oriri & ratio & experientia quotidiana probat. Inter illas Cibus & Potus antecedit, si vel quantitate vel qualitate peccat, & sic ab acris, acidis, austeris, acido-austeris, fructibus horræis, viscosis, sale & fumo induratis, flatulentis, frigidis & calidis eam ortam notamus, quemadmodum à beta & sinapi ingestis eam notavit Schenckius. *Obs. Med. Lib. 3. Obs. 1.* à degustato acido *Ephem. Germ. A. N. C. dec. 2. ann. 3. Observ. 117. p. 309.* Stalpart van der Wiel, *Cent. Prior. Obs. 44. p. 198.* ab Aqua forti. *idem Cent. 2. Obs. 26. p. 277.* à fructu crudo sive acido, sive dulci *Eph. Germ. A. N. C. dec. 2. ann. 10. Obs. 171. p. 309.* ab uvis immodicis Rhod. *Cent. 2. Obs. 53. f. 94.* observarunt. Huc pertinent Vina acida & austera cujuscunqve nominis. à flatulentis & inde oriundis flatibus cardialgiam notat Rhod. *Cent. 2. Obs. 70.* à caseo sic viscoso acris, à lacte, potissimum ebutyrato, placentis quotidie advertimus cardialgiam, & si quis fungos ingerat, cardialgia facile corripitur. Hinc Galenus de
aliments,

*Aliment, Lib. 2. Cap. 68. fol. 25. equidem, inquit, novi quendam
cui post boletorum non satis elixorum usum largiorem os
ventriculi pressum ac gravatum coarctatumque &c. Idem re-
ferunt Hildanus Cent. 4. Obs. 34. f. 317. Amat. Lusitan.
Cent. 1. Curat. 39. p. 70. & Stalpart van der Wiel Cent.
Prior. Obs. 40. p. 162. à frigidis ingestis, quemadmodum
à pota aqua frigidâ copiosa notavit Dn. Præses, & à Ma-
lis Perficis Schenckius Obs. Med. Lib. 3. Obs. 1. à calidis ut
pane calido assumpto testatur frequens experientia à Du-
ris assumtis, cum digeri nequeant, preinendo duritie
cardialgia etiam inducitur, quæ quid de frusto corii no-
tat Hildanus cent. 4. Obs. 32. & quæ alia plura apud Autores
Medicos leguntur, quæ vel ad recensitas Classes, ut quan-
do vel ab euphorbio assumto vid. Henr. ab Heer Obs. 25. p.
219. vel à colocynthidis usu cardialgia orta est, vid. Plate-
us Obs. lib. 2. p. 805. vel ad reliquos in diætâ secundum res
nonnaturales institutâ evenientes errores commodè refe-
runtur, numerumque causarum augent, quæ aciem vel
sub ipso ventriculi ejusque superioris orificii attactu pro-
dunt, vel per moram & vitiosam digestionem in eam no-
civam aciem degenerant, quemadmodum hinc in Hypo-
chondriacis, Scorbuticis, & affectibus biliosis cardialgi-
am complicatam frequentius notare solemus.*

THES. IX.

Porro cardialgiæ causam constituunt Vermes, quem-
admodum à 5 vermibus miræ formæ ad digiti longitudi-
nem, & mira & innumerabili vermium minutissimo-
rum vix oculis comprehendorum & penè spermatis rana-
rum ad instar progenie, quos omnes una cum adhuc uno
verme inusitatæ formæ & magnitudinis Lacertæ ad instar
cum subsequente simul morte per vomitum rejecit mu-
lier immani cardialgia affecta est. *Bph. Germ. A. N. C. dec. I.
anno 1. pag. 22. eandem intolerabilem cum animi deliquio
mulie-*

Mulieri excitavit talpa obesa ad octo transversorum digitorum longitudinem. *Eph. Germ. A. N. C. dec. 1. ann. 8. obs. 40.* In Pago Vindinge Fionum rusticus operi intentus cum cardialgiâ corripereetur, ab eâ postquam ducentos vermes cum magna pituitæ massa rejecisset, lanuginosos viventes medium digitum longos liberabatur, referente Th. Barthol. *Act. Hassniens. Vol. 5. obs. 34.* Singularem planè causam cardialgiæ recenset idem Thom. Barthol. *Hist. Anat. rar. Cent. 1. & 2.* cujus historiam sequentibus continuat: *Vigesimo Aprilis nono, Anna Erici subito rursus horis vespertinis miris comprehensa angoribus, aliâ presentibus Pastore loci ejusque conjuge, Guldbrando Annevoldi, Toftelo Annevoldi, & Paulo Olai eructavit 1. Spinam, 2. Marsupium lineum crinibus humanis constrictum, in quo frustula aliquot carnis cruda recentisque reperiebantur, acutis lignis hinc inde inspersis. 3. Duas Spinas acutas. 4. Mox atram glebam cum lapillo candido, & 5. corrigiam semidigitum longam. Hinc ad quartam sequentis diei sine cibo requievit. Reversa ad se, advocatoque Presbytero rursus evomuit ligulam lineam digiti longitudine tribus nodis, in quorum medio acicula hærebat, intortam cum palea bifida, in qua etiam acicula incurvata erat conspicua, successis postea aliâ palea luto illita, cui lamina stanni erat inducâ, secundo Maji presentibus Theodoro Bermandix & aliis ibi recensitis, circa vesperam vomitu prodiit lapis pondere drach. iij. Tertio Maji in presentia Pastoris ejusque uxoris exspuit peram coriaceam crinibus humanis circumductam pulvere pyrio repletam, & quæ passim similia & plura alia reperiuntur apud Observatores, quibus edocemur, quod quicquid ventriculi orificia ipsumque ventriculum irritare, vellicare, aut alio molesto modo afficere queat, id cardialgiæ causa sit, ut taceam, quod eadem ab ulceribus*

B

bus

bus partium ventriculi vicinarum oriri queat, quale quid à consensu omenti putrefacti in servi stabularii uxore productum referunt *Ephem. Germ. A. N. C. ann. 7. dec. 2. obs. 7.* & à suppressione mensium ortam cardialgiam notant itidem *Ephem. Germ. A. N. C. dec. 3. ann. 8. pag. 120. append.*

THES. X.

Consideratis sic variis cardialgiæ causis ad explicandos illarum effectus jam progredior. Quamprimum igitur acria, acida, acido-austera vel sola, vel viscido juncta assumuntur; Si vellicationis & læsionis instrumenta secum vehunt aperta, sine mora suam vim & aciem in orificia ventriculi & in eum ipsum apertè exerunt, si vero magis tecta viscido sunt, adhærent lateribus dictarum partium, & post moram, quâ separantur à viscido, demum acria suam vim exercent, vel involuta viscido, hisce partibus sic magis incuneata, & auctum & durabilem magis inferunt dolorem, qui pro varietate aciei quoque variat. Acida enim poris impacta scindunt, hinc dolorem scindentem & rodentem, acido-austera lacerant & adstringunt, hinc lacerantem mordentem, & si corrosiva sint, quæ ceu totidem acuatis cultris scindendo lacerant, eundem cum summo angore dolorem causantur. Salsa verò & fumo indurata pungentem, ardentem, flatulenta distendentem pariunt dolorem. Quod si frigida assumantur, corrugantur inde pori, vasa sanguifera angustantur, & sic salia sanguinis & humorum sistuntur, suaque acie majori cum molestia vellicant nervos, quemadmodum justo calidiora poros pariter corrugant, aguntque ad rupturam fibrillarum, quâ salia sistuntur, & vehementius feriunt partes unde in utroque casu quandoque cum ardore inflammatio & erosio

erosio succedit, quale quid Stalpart van der Wiel *obs. rar. cent. post. obs.* 26. in muliere notavit, cujus cardialgiâ extinctæ œsophagus ad pugni magnitudinem exesus, & diaphragma â corrosivo pure perforatum deprehensum est; quem effectum & lumbrici continuis suis moribus pariter producant, & ulcera cancrofa it. Scirrhi eandem exserunt lævitiam, ut hinc satis appareat, quàm â diversis causis idem morbus, diversis tamen cum doloribus eveniat.

THES. XI.

Inter Symptomata cardialgiam comitantia Nausea & Vomitus sunt. Hisce exacerbatur hic affectus. Nam cum in ventriculi termino insolita â recensitis causis oriunda molesta vellicatio sæpius lancinatio fit, simul spirituum animalium influxus laceffitur, quo laceffito fibræ ventriculi decussatim decurrentes contrahuntur, & inde latera ejus ad invicem accedunt, sub quo accessu omne id quod in eo continetur, ejicitur atque vomitus fit, si verò tantum ex paulo mitiori lancinatione nonnisi conatus pro accessu ventriculi laterum ad invicem ejus fibris inducatur, non vomitus, sed tantum nausea fit.

THES. XII.

Angustam respirationem pariter cardialgiæ comitem porrò deprehendimus, jam constat, quod in respirationis negotio diaphragma primarium instrumentum fit, si igitur in ventriculo peregrinum quid sit, quò ventriculus vel constringitur, vel distenditur, diaphragma non nisi magno conatu movetur, & cum ejus posticus musculus œsophagum circum circa comprehendat, sui que motus reddat participem, fieri non potest, quin imminens fibrillarum ruptionis periculum diaphragmatis

motu augeatur, unde & metu dolorum respiratio metuitur & fit angusta.

THES. XIII.

Superveniunt etiam subinde Vertigo, Syncope, Epilepsia & Convulsiones, siquidem dum sub durante doloris atrociam spirituum animalium violentus per nervos influxus continuus est, facile fit, ut iidem spiritus, dum per principia nervorum in eos influere tendunt, ob impetuosum autem eorundem proprium motum omnes isti in nervorum tubulos simul subire nequeunt, eorum quidam resiliens in circulum & orbem eunt, & inducunt Vertiginem. Porro cum doloris atrociam æger non facile sine ejulatu ferat, sub eo stomachus vicinæque partes propter nervos irritatos tandem convelluntur, spiritus animales ut ad illum ita per totum corpus perniciosissimo feruntur motu, quò ipso contrahunt & concutiunt omnia, sanguinem sanguinisque motum turbant, quæ simul spiritus sufflaminando Syncopen seu animi deliquium pariunt. Dum autem hæc fiunt, simul sub illa sanguinis & in ejus motu turbatione pariter vasa sangvifera & lymphatica, & musculosæ & membranaceæ partes sunt angustatæ, in quarum angustia sanguis & humores facile in spumam & bullas aguntur, unde spirituum influxus violentus dum perpetuus est, totum corpus convellitur, & membra contrahuntur, fiunt Epilepsia & Convulsiones; quod si recensita tantum in aliqua parte fiant, convulsiones etiam tantum in eadem eveniunt, quemadmodum Dn. Præses ægram novit, cujus dextra gena durante cardialgia convellitur, quanquam interim nec hic certa in toto corpore sit securitas.

THES. XIV.

Dolores autem in hoc morbo jam sunt perpetui,
jam

jam intermittentes; & ut perpetui indicant causam cardialgiæ constantem, & continuam, vel ab acie nervis membranisque incuneata, vel etiam ab inflammatione, vel exesione, vel erosione it. scirrho, ita intermittentes dolores produnt causam eandem vel à vermibus vel à flatibus, ubi & postus & jejunium intermissionem dolorum pariunt, aut utrumque eos etiam auget. Sed cardialgia à vermibus & flatibus nonnisi incerta admittit intervalla, siquidem vermes ventriculo repleto quiescunt, nec nisi eum rodunt mordentq; vacuum, simili modo quando flatus vel vacuo in ventriculo detenti angent, & à ciborum calore dissipantur, vel quando ex assumptorum concoctione difficili cruditates fiunt, flatus causantur, isti sic post cibos sumptos cardialgiæ causa sunt. Cum è contrario casus sint, in quibus intervalla dolorum certam fervant periodum ad febrium intermittentium indolem, quemadmodum etiam experientia hujus magistra est, quod cardialgiæ periodicè redituræ Prodromus ipsa febris sit, dum sensibilis nasi & extremorum refrigeratio istam dolorem præcedit. Ex hisce dictis sic etiam facile constabit, qui fiat, quod cardialgia jam jejunos jam postos corripit; nam id non tantum à vermibus ac flatibus evenit, sed ipsa diversa acies contentorum in ventriculo ejus rei mutationem admittit, prout enim illa tum majori minorique copia detinetur, tum quoque situm suum in ventriculo mutat, cardialgiam vel jejuno, vel pleno ventriculo parit.

THES. XV.

Recensitarum causarum effectus dederunt cum parte affecta simul hujus morbi Diagnosin ejusque explanationem, ut hinc circa eam nihil restet commendandum, quam ut ad cardialgiæ præcedanea, eam conco-

mitantia tum ratione dolorum, tum excretorum & quæ eam sequuntur, attendatur, quibus ut facile sic morbus, morbiqve causa cognoscitur, ita etiam de eventu hujus morbi per quàm facile poterit judicari.

THES. XVI.

Ad Prognosin igitur in ordine progrediendum erit, Hanc causæ vel majores, vel minores, vel constantes, vel minus constantes faciunt, eamqve mágis minusqve periculosam, quanquam rarò sine periculo ea sit, cum morbus partes nervis copiosissimis præditas hinc delicatas occupet, quæ exquisitissimum pariunt sensum, atq; insignem convulsionum metum, quæ si superveniant, cum extremorum frigore, mors est ante portas, sicqve ordinariò lethalis. Si febris potissimum malignis superveniat, testimonio Hippocratis *Col. aph. 65. Sect. 4.* semper malum est. à flatibus orta cardialgia inter omnes alias causas prognosin felicioram admittere solet, si in cavo ventriculi reperiantur, non verò intra membranas & vicinas coerciti sint. Id quod etiam tenendum de lumbricis est, nisi longâ morâ exederint ventriculum ventriculique orificia. Quemadmodum etiam cardialgia frequentius lethalis pronuntianda, si ab exulceratione vel ipsius ventriculi, vel vicinarum partium orta deprehendatur.

THES. XVII.

Morbi hujus Curationis scopus generalis intendit, sublationem causæ cardialgiam efficientis, nam eâ sublata & tollitur morbus. Cum autem ex recensitis constet, quod variæ hujus morbi causæ sint, hinc pro causarum varietate varia quoqve cura est. Ex fonte Chirurgico sola super est venæ sectio, quæ considerari meretur, non quod morbum tollat, nam nec morbum, nec mor-

mor-

morbi causam tangit ; sed quando vel Plethora vel sanguinis turgescencia & ebullitio adest, vel metuenda est inflammatio, Venæ sectione opus est, dum convulsiones inde citius metuendæ sic averti possunt. Quæ admodum ea quoque locum habet, si cardialgia vel à suppressione mensium, vel ea aliis complicata & symptomatica morbis sit, qui venæ sectionem urgent.

THES. XIIX.

Pharmaceuticus autem Fons copiosiora porrigit, cardialgiæ laborantibus remedia, & pariter, ut jam dictum, pro varietate causarum varia. Inter illa quidem Vomitoria agmen ducere videntur, ast nec hæc indiscriminatim exhiberi possunt; non ex eo, tantum, quod eorum usus certis sub cautelis ordinariò limitandus sit, sed utut ex iis nulla sit respicienda, eorum tamen usum hic prohibeat. Eveniunt enim causæ, quæ vomitoria vel planè dissvadent, vel planè prohibent. Nam si ea ab acido vel austero fuerit, iis vomitoriorum vis ita ligatur, ut inde vel non sufficiens sequatur vomitus, vel nullus fiat, sed ejus loco turbulentus saltem in ventriculo excitetur motus. *Vid. Ephem. Germ. A. N. C. dec. 2. ann. 3. obs. 67.* vel vomitoria vomitionem inferant lethalem, quæ quid inde factum legimus *Eph. Germ. A. N. C. dec. 1. ann. 8. obs. 41.* Et sit ita, ut quoque felicissimus inde fieret vomitus, eo ipso tamen non tollitur morbi causa sive acida, sive austera sit, siquidem acidum purgantia per vomitum non dantur, & ut in tali causa exulant vomitoria, ita multò magis ea exulare debent, si vel ab inflammatione, vel excoriatione, vel exulceratione cardialgia sit, nam iis tantum exacerbantur dictæ morborum causæ, & prolicetur indubitato mors. Alia res est si ventriculus saburra minus acri, vel biliosa scateat & insu.

insuper inde cibi fastidium junctum sit, tunc omnino vomitoria convenientissime exhibentur, & probat idem sua experientia Medicorum Princeps, Hippocrates *Aph. Sect. 4. aph. 17. Sine febre existenti, cibi fastidium, acris ventriculi morsus, & vertigo, & os amarescens, medicamento sursum purgante opus habere significat.* Inter vomitoria autem quæ exhibenda tunc sunt, non tantum Antimonialia exhiberi possunt. v.g. Tartarus emeticus, Aqua benedicta Rhulandi, vel antimonii infusum cum vino ex regulo, vel vitro antimonii &c. commodissimum tamen & ut maxime securum vomitorium Radix Ipecacuanhæ seu Hippocannæ recensitis antimonialibus antecellit. Quod si cardialgia ab assumpto veneno oboriatur, sine mora equidem requiruntur vomitoria; sed non ea, quæ ex antimonio sunt. Copiosa aqua cum oleo Amygd. dulc. Lini, seminum 4. frigid. majorum etiam cum butyro insalito, aut lac cum notis oleis conveniunt, ut aqua eluatur, & oleo involvatur venenorum acies. Vomitoriis succedunt Purgantia, de iis eadem cautelæ valent, quæ circa vomitoria notatæ sunt, nec ea purgant, seu educunt acidum, sed eo æque ligantur, ut hinc & fortiora debilius agant non sine doloribus, si leniora exhiberi velint, imbecilliora simul deprehenduntur, quàm ut inde effectus debitus eveniat, & si etiam alvum solvant propinata laxativa, facile tamen statim simul dolores commovent, quare quid factum legimus *Eph. Germ. A. N. C. dec. 1. ann. 4. & 5. obs. 10. p. 13.* adeò, ut iste æger hinc ex metu cruciatuum nec clysterem admittere, nec laxativum sumere vellet.

THES. XIX.

Ea propter jam ad speciales hujus morbi causas me accingo, quando igitur cardialgia ab acido, aut acido-austero oritur, commendo frequentem & copiosum
Aqua

Aqvæ simplicis sed optimæ notæ potum ; hæc enim est Me-
dicina universalis , quæ cum silentio acrimoniam aggredi-
tur , eamque diluit , eluit & secum aufert , quo referendum
est & Thèe infusum & Coffèe decoctum. Huic jungendus est
usus Magnesiæ albæ optimæ & ritè paratæ , hæc enim aciem
tectè invadit & sine insigni strepitu eam corrigit. Post eam
conveniunt omnia absorbentia , creta , oculi cancri , Cry-
stallus mont. præparat. Unicornu fossile, ebur & C. C. ustum
& sine igne , terra sigill. mandib. Lucii piscis, specif. ante
febril. Croll. testæ ovor. calcinatæ, item antimonium diapho-
reticum simplex & martiale , & ipsa limatura martis cruda
inter potentissima acidum depellentia reperitur, & cum non
negandum sit , quod usum ejus multi metuant, vanus tamen
metus est, si cum grano salis & debitis cautelis exhibeatur.
Supersunt etiam alia alcalia, sive fixa , qualia salia tartari,
absynthii , carduibened. & similia per incinerationem pa-
rata sunt ; sive volatilia spiritus salis ammoniaci simplex
vel anisatus , spiritus C. C. & reliqua ; quibus & olea
destillata jungi possunt , hæc tamen cum cautela, ut ea quæ
contra acidum aperto Marte agunt aliis temperatioribus re-
mixta sint , nam utut per se exhibita non noceant , cum ta-
men prima coitio soleat hic esse acerrima , nec succedaneæ
proximæ tacitè cum acido agant , ordinariò propter mutu-
um apertum conflictum dolores initiò augent , ægrum
reddunt timidum , utut iis postea planè tollantur.

THES. XX.

Nec omittenda hic sunt Anodyna. Hæc enim spirituum
animalium in nervos influxum violentum temperant, & fi-
brillis partium dictarum inde nimium tensis à ruptionis
periculo per conciliatam iis flacciditatem liberant , talia
sunt Theriaca Andromachi , & cœlestis , Diascordium Fra-
castorii & Sylvii, Mitridatium, Philonium Romanum vel Per-
sicum, Laudanum opiatum siccum vel liquidum, & Tinctu-
ra opii. Quæ cum grano salis vel sola vel aliis admixta & ex-

hibita insignem sæpè stupendum salutarem edunt effectum; Et cum sine pororum ventriculi obstructionibus hæc recensita symptomata fieri nequeant, hinc & resolventia Stomachica, Carminativa blanda, inter quæ Chamomilla vulgaris & romana, & utriusque Essentia excellit, Anodynis pro felici successu adduntur, quibus & flatus compesci possunt. Quæ omnia vel sub formâ essentiarum, vel Pilularum, vel aliâ beneplacitâ ordinari possunt; ad quam formarum mutationem variam ægrorum gustus sollicitat, imò sæpius urget.

§. XXI.
 Quod si autem cardialgia è congestis è sanguine in ventriculum humoribus originem habeat; respiciendum est, ad sanguinis & ejus acrimoniæ indolem, quæ determinabit, qualia eligenda medicamina sint, & hinc si acidum peccet, alcalia, absorbentia, si lixiviosum aut biliosum accusandum blanda acida, qualia sunt spiritus nitri dulcis, spiritus salis dulcis, clyffus antimonii, cremor & crystalli tartari, hepaticum rubrum Dresdense & similia conveniunt. Ubi nec nitrosa omittenda, si biliosum potissimè noceat. quæ omnia copioso vehiculo aquoso exhibenda sunt, nam nec hic Aqua negligenda, quæ cum radicibus, corticibus, herbis, floribus, & feminibus, incidentibus, resolventibus & demulcentibus pro re nata & infundi, & decoqui possunt, ut infusi vel decocti secundum artem parati formam referant, qualia sunt radices chinae, sarlæparillæ, Scorzonerae, bardanæ, liqviritiæ, cortices rad. capparum & tamarisci, &c. Herbae centauri minoris, cardui benedicti, & nisi summa amarities deterreat, trifolium fibrinum, rosmarinum, flores Papav rhead, it. cordiales vulgò dicti malvæ &c. Semina fœniculi Anisi, item bacca juniperi, & similia; Nam talia simul profunt, ubi sanguis per angustata vasa & in mixitone & motu turbatus est, sub quorum decoctorum & Essentiarum aliorumque convenientium usu subinde blandus expectandus sudor est. Hac methodo sic per truculenta symptomata

turbatus sanguinis circulus ejusq; miscela turbata restituitur; & si quæ in ventriculo aliisq; corporis partibus factæ sint obstructions, iis referantur. TH. XXII.

Jam ordinis ratio exigeret, ut & reliquarum adductarum causarum curationes perficerem, quando scilicet Cardialgia à vermibus, flatibus, inflammatione, exulceratione scirrhorum, item mensium suppressione &c. oritur, sed cum istæ proprios fontes circa curandi methodum & remedia suppeditent, ob brevitatem institutam circa ea non occupabor, cum apud Autores Medicos prolixè ea omnia reperiantur.

THES. XXIII.

Ad Externa igitur remedia progredior. Hic cardo rei potissimum in fotu consistit, adeò ut vel soli sacculi ficci calidi ex avena, furfure, vel etiam herbis carminativis, & emollientibus sæpius sufficiant, ad minimum maximam absolvant paginam, imprimis fotus vaporosus calidus in laxandis fibris, quæ spasmò tenduntur, & pro excitando sudore circa affectam partem & sæpè totum corpus majoris efficaciam sunt. Unde herbae chamomillæ cum speciebus emollientibus, & herbis, floribusq; Paregoricis, in lacte coctæ, vesicæ bovinæ inclusæ & impositæ egregiam inter externa remedia exerunt vim, quæ pro re nata vel sæpius vel tardius repetuntur. Et si etiam placeat unguentis uti, prostant. Unguentum dialtheæ compositum, Unguentum martiatum &c. quibus addi possunt olea destillata varia, v. g. sceniculi anisi, chamomill. vulgar. menth. succini, ut & axungia Castorei, quæ in unguenti formam redacta, calidè inungi, sicq; sacculi commendati vel ficci, vel etiam vaporatorii methodo consveta superimponi possunt, quando fotus per emplastra intendi volunt, sunt Emplastra de taca-mahaca, de baccis lauri, carminativ. Mynsichti, de Galbano item Emplastrum Diasaponis Tachenii & reliqua, quæ maritari possunt pro re nata iisdem oleis destillatis & axungis, quæ in unguentis pro additamento superius comendata

sunt, ex quibus variæ parari possunt formulæ pro circumstantiarum ratione diversa & intentione Medici. Quæ regi-
oni Epigastricæ imponenda, & imposita aliquandiu detinen-
da sunt, cum toveant. **TH. XXIV.**

Fons Diæteticus commendat diætam, nam ut diætæ erro-
ribus Cardialgia sæpius producitur, ita ejus correctione car-
dialgia & citius mitigatur, & averti diutius potest, unde lu-
xuriantis gulæ illecebris non parendum, sed abstinendum est
à cibo & potu nocentibus scil. Vitanda sunt acria, acida, aci-
do-austera, sale & fumo indurata viscida, & flatulenta, dum
ab iis omnibus cardialgiam novimus, & à Vino rhenano
simile quid evenisse notamus *Eph. Germ. A. N. C. dec. 1. ann. 3.*
obs. 110. quod etiam intelligendum de iis, quæ licet initio
nec acria, nec acida, nec alia acie prædita sint, attamen vel
propriâ fermentatione intra corpus nostrum eam acquirunt,
cujus indolis & cerevisiam recentem, & mustum, & fru-
ctus horræos observamus, vel per digestionem eorum debi-
liorem in ventriculo eam demum induunt, & ita degene-
rant. Cibi autem eupepti & euchimi sunt eligendi & tale
vinorum genus, quod generosum est, nec acido nocere pot-
est. **THES. XXV.**

Aer sit temperatus & nullis acribus, aliisque nocivis va-
poribus inquinatus, in reliquis pariter rebus non natura-
libus, in motu scil. & quiete, somno & vigiliis, excretis & re-
tentis tam amica sit moderatio, ut nec hic noxa adveniat, & si
in quibusdam earundem sit vel defectus, vel excessus, vel ad
minimum correctio requiratur, fiat, pro circumstantiarum
ratione remediis convenientibus, & alio earum rerum usu,
quæ in ægri potestate sunt. Quemadmodum & in animi
affectibus habendus modus est, qui in conjugio animæ
& corporis illud citius corpori inferunt,
quàm commissus in diætâ error,

TANTUM.